

# MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA  
Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08  
Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT  
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## MELISSA VOS ADDUCIT ...



Marcus Polo non fuit primus...  
Cfr p. 7-12

... in Italiam, ubi nonnullos Latinistas hac  
aestate convenit

☞ p. 3

... ad vitam hodiernam, informationibus  
deditam, conspiciendam

☞ p. 5

... ut plura sciatis de eventis Ruandensibus

☞ p. 6

... in Sinas. Scitisne cives Romanos ibi  
fuisse?

☞ p. 7

... in terrificum Inquisitionis mundum

☞ p. 13

... ad disputandum de Latinitate Europaea

☞ p. 15

# CRESCITE ET MULTIPLICAMINI

Gn. 1, 28

«Hodie nos visitavit operarius, qui superiore anno nobiscum laboravit. Vocatur Mustapha atque triginta quattuor annos natus est. Hoc anno fieri non potuit ut nomen daret ad operas effossionibus archaeologicis nostris dandas. Causa est quod duobus mensibus ante uxorem amisit. Vi electrica percussa est, dum extenuata in fronte domus suae nititur ad momento temporis quiescendum. Non animadverterat maritum electricam domus adductionem reparare voluisse, opus tamen suum nondum perfecisse. Nuda fila electrica in tergum letaliter impegerat... Mustapha nunc solus est, qui decem pueros curare debeat, cuius iunior sesquiannum tantum est natus!» Haec inter alia litteris nuntiavit una ex filiabus meis, quae mense Augusto inquisitiones archaeologicas missionis Belgicae Apameae in Syria participabat, eodem fere tempore quo Cairi in Aegypto habebatur maximus conventus auspiciis Organizationis Nationum Unitarum institutus ubi «de hominum multitudine in orbe terrarum anno 1994» tractaretur.

Cairum confluerunt circiter viginti milia participum, ex centum duodequingenta sui iuris regionibus oriundorum; inter participes eminebant undeviginti regiminum capita. Iam anno 1974 Bucarestiis et anno 1984 Mexicopoli habiti sunt eiusdem generis conventus. Cur vergente vicesimo saeculo tanta cura de hominum multitudine?

Numquam antea tam celeriter auctus est terrae incolarum numerus. Cum medicinae studia perficerem anno 1955, circiter duo et semis miliarda (2,5) hominum terram incolebant; nunc anno 1994 sunt quinque miliarda et septingenti miliones (5,7). Si ex Belgica, ubi vitam dego, numquam exiissem, certe interrogarem ubi essent ista tria miliarda et ducenti miliones hominum, qui se ceteris adiunxerunt.

Nam inter hos quadraginta annos non mutatus est numerus Belgicae incolarum. Vix re vera augeri potuisset; maxima enim totius orbis terrarum ibi est incolarum densitas, i.e. plus quam trecenti pro singulis chiliometris quadratis. Quare ante secundum bellum mundanum in schola discebam terram Belgicam suos incolas alere non posse; Belgas industria et commercio quaestum facere, quo cerealia in extraneis regionibus emerent importarentque. Tunc ergo iam patebat, si omnes regiones ad eandem populi densitatem tenderent, fieri non posse ut incolae sustentarentur.

Certe a secundo bello mundano magnae mutationes factae sunt, de quibus praecipue est cogitandum. Nam cum circumstantia nimis celeriter mutantur, mentes humanae multo lentius se eis aptare solent.

Causa fundamentalis harum omnium mutationum est ingens et in dies celerior progressus technicarum. A quo oriuntur duo maioris momenti effectus.

Mechanizatio atque adiumenta chemica redditum agriculturae tantum augent ut pabulum adhuc praebeatur toti hominum multitudini, quamquam nimis parce in multis regionibus. Sed certe fieri non poterit ut ad infinitum augeatur victus copia.

Alter effectus est inexpectatum incrementum vitae commoditatis, maximam tamen partem in regionibus magis industriis. Quod incrementum non factum est sine detrimento. Paulatim apparet multas reliquias, quae actuositatibus technicis gignuntur, aequilibrium biologicum Terrae non sine periculo mutare atque generi humano nocere.

Hoc periculum multum augetur, si universi homines eadem qualitate commoditateque vitae fruerentur ac hodierni incolae regionum magis industriarum, qui tantum quarta circiter pars sunt totius multitudinis.

Disputare licet utrum Terra decem vel plura hominum miliarda et sustentare et tolerare possit necne, sed maioris momenti est cogitare quales vitae condiciones hominibus aptabiles sint. Modus vivendi cuius exemplum attuli in initio huius symbolae conspicitur in multis regionibus industria tardioribus. Estne re vera modus optabilis? Congruitne cum dignitate humana?

Responsum difficile, ut patet ex discordibus conclusionibus conventus Cairensis. Pendet enim ab opinionibus de humanae vitae scopo, quae valde diversae sunt apud aequales nostros. Ex altera parte sunt opiniones diu traditae praesertim religionis Christianae et Mahometanae, ex altera parte recentiores opiniones ab omni religione solutae quae tantum nituntur in cogitationibus scientificis.

Quanta discrepantia inter «progressistas», qui autumant tantum 500 vel 600 miliones hominum in Terra decenter atque innocenter vivere posse, atque «traditionalistas», qui hortari pergunt: «crescite et multiplicamini», quicumque sunt effectus. Illi cogitant de paradiso terrestri paucioribus instruendo, hi de paradiso post mortem quam plurimis promittendo. Illi autumant dignitatem humanam pendere ab educatione et prosperitate populi, hi antiquissimis litteris confirmati dicunt maximam dignitatem etiam apud miserimos inveniri posse atque maximam animi depravationem apud prosperiores.

*Possuntne inter se conciliari opiniones tam diversae? Invito lectores, quorum haec quaestio interest, ut mihi sententiam suam patefaciant. Sic una in proximo fasciculo disputationem pergemus.*

Gaius LICOPPE



# DE LATINITATE NEAPOLITANA

AB ALOISIO MIRAGLIA SUSTENTA

Res est bene nota: ad linguas addiscendas optimum tempus est prima puerorum aetatura. Parentes, qui hac bona indole utuntur, pueros facile faciunt multilingues. Nobis nota est quaedam Elisabethula Neapolitana quam mater Itala Italice alloqui solet, pater Anglus Anglice, atque... avunculus Latinista Latine. Inde fit ut haec puellula unum semis annum nata sine difficultate iam loquatur et Italice et Anglice et Latine. Verum est, nobis credatis oportet. Ceterum non omnibus puellulis contingit ut avunculum habeant talem, qualis est Aloisius Miraglia.

vergentibus, tota scaena mutatur. Apparet enim professor Georgius Punzo, vir scientiis simul cum philosophia mirum in modum imbutus, quippe qui aliquando docuerit anatomiam comparatam philosophiamque naturalem. Et lingua Latina ei est familiaris: nam a Iesuitis, apud quos nonnullos annos vixit, accepit consuetudinem Latine loquendi. Viva Latinitas ei videtur optima methodus Latine discendi. Itaque iuveni Aloisio suadet ut libros suos grammaticos proiciat. Potius legat auctores quam plurimos atque textus eorum memoriae mandet.

Idem professor Punzo vivit in insula Prochytae proxima, nomine Vivara. In hac insula deserta stat una domus venatoria, septimo decimo saeculo exstructa, iam diu derelicta, quae eget refectione. Praeterea nihil nisi maris rumor, arbores, animalia. Ibi Georgio Punzo munus tributum est et perquisitionum scientificarum faciendarum et adolescentium ad amorem naturae instituendorum. Ille vir singularis est, ut fama fert, alter Socrates. Aloisium Miraglia aliosque iuvenes allicit ad colendam vitam simplicem, communem, cogitationibus deditam. Enthusiasmus est ingens, etsi domus, fulmine tacta, caret electricitate. Unusquisque labores cottidianos participat. Dies annique transeunt. Etiam studia universitaria Aloisium non avertunt ab hac vita eremitica: nam anno 1989, insula magistroque non relicto, diploma philologiae classicae meretur, quamquam pedem vix umquam posuerit in universitatis aedibus.

Mansit ergo in insula Vivara complures annos atque sine dubio adhuc ibi viveret nisi tota res pecuniariis necessitatibus abolita esset. Nam scitu dignum est magistrum philosophiae insulam condusse pretio, quod possessores anno nisi fallor praeterito immodice maioraverunt. Philosophus autem suas

fortunas iam impenderat in loca reficienda; deficiente pecunia, maesti omnes ab insula decesserunt. Sed nondum reliquerunt spem rei iterandae: condiderunt enim associationem c.n. «Unione Trifoglio», quae systema educationis proponit congruens cum natura. Ut eius propositum educativum breviter contrahamus, colitur «mens sana in corpore sano».

Anno 1988, data occasione Certaminis Vaticani,



*Demonstratio scientiae Latinae: "Tange bracchium!"  
Et Elisabethula bracchium pupae tetigit.  
Nobis praesentibus.*

Aloisius Miraglia Neapoli natus est die 28 m. Oct. a. 1965. Medicos habuit patrem, avum, abavum illustrem cui una ex plateis Neapolitanis dicata est. Usque adhuc nihil miri. Prima studia Neapoli fecit, in lyceo publico c.n. Umberto, ubi lingua Latina ei imprimis non ita placuit. Etiam nihil miri: nam quot discipulos alliciunt grammatica exceptionesve?

Secundariis studiis ad finem paulatim

Aloisius Miraglia convenit editorem Lambertum Pignini, qui curat periodicos q.t. «Juvenis» et «Adulescens». Colloquia fiunt de Latinitate viva. Vultne Aloisius circulum Latinistarum Neapoli condere? Lamberto satis multi homines sunt noti, qui «Juvenem» et «Adulescentem» legant. Epistulae ad eos mittuntur, nuntii in actis diurnis

eduntur. Respondent plus minusve quinquaginta homines. Sunt magistri, medici, biologi, alii quibus lingua Latina cordi est tamquam vinculum Europaeum. Latinitatem ea de causa etiam volunt vivo modo tractare, ut auctores antiquos melius intellegant, eorum humanitatem penitus tangant, ex eis vitam suam hodiernam melius ducant.

Aloisius Miraglia nunc docet linguam Latinam in schola publica. Expertus dicit institutionis condicionem esse pessimam. Quid enim discunt discipuli, nisi odium linguae Latinae? Libenter citat Reginaldum Foster: «Si post scholam musicam finitam discipuli odissent Fridericum Chopin, cuius esset dedecus? Magistrorum.» Idem animadverti potest de lingua Latina et de omni materia. Quid autem valet institutio linguae Latinae, quae




*Gaius Licoppe, Sigrides Albert, Aloisius Miraglia et P. Caelestis Eichenseer quiescentes post ambulationem Neapolitanam (04/09/94). Nam moderatoribus Vocis Latinae et Melissae nuper gaudio fuit circulum Neapolitanum visitare.*

discipulos non adducit ad amorem Latinitatis?

Aloisius cogitat de schola reformanda; internationalem conventum didacticum instituit, qui d. 19-25 m. Oct. a. 1991 fit in insula Prochyta. Thema proponitur «Latino si, ma non cosi; Latinitas sane tradatur, minime hoc modo tradatur». Inter oratores multi sunt vivae Latinitatis fautores; nihilominus Universitas Salernitana patrocinium suum dignatur offerre. Tales conventus sunt maximi momenti; oportet insuper magistri aures habere velint ut audiant monitiones eorum, qui clamant Latinitatem vivam esse, sed qui sibi nonnumquam videntur clamare in deserto.

Ceterum Aloisius Miraglia amicique eius sunt juvenes. Eis non desunt proposita neque fides.



*Idem Vocis Latinae et Melissae moderatores etiam visitaverunt participes Feriarum Latinarum Syracusanarum, quorum eximia hospitalitate fructi sunt.*

*A sinistris: P. Caelestis Eichenseer. In medio: Georgius Di Maria Feriarum moderator ingentem placentam hospitibus suis offerens.*



# ARS LONGA...

SCRIPSIT FRANCISCA DERAEDT

**I**nter omnes difficillima videtur esse ars diurnariorum. Causa fortasse est quod ipsi non accurate sciunt quale munus habeant efficiendum. Certe est lector docendus. At quo modo? Intra quos fines? Ad quem scopum? Estne sola veritas dicenda? An etiam explicanda? Licetne commotionem animi suscitare, sensus suos inserere, iudicium proponere? An res tales potius exponere decet, quales actae sunt, ita ut veritas appareat nuda?

Sed ubi est veritas? Longe abest ut sit in actis diurnis. Diurnariorum erroribus ita paulatim assuesco, ut omnes nuntios legam oculis suspiciosus. Unde suspicio haec oriatur, quaeritis. Quamquam de plerisque rebus narratis non valeo iudicare, de re quae ad me pertinet, de Latinitate viva, scio plures stultitias in actis diurnis inveniri quam rectas sententias. Recentissimum exemplum afferam.

Praeterito mense Augusto, moderante D.re P. Caeleste Eichenseer, seminarium Latinitatis vivae habitum est in urbe Vavria (v. Wavre). Iam tertium annum participibus licuit frui lautis aedibus scholae c.n. Athénée Royal Folon. Dominus Hanozet director internatus, vir maxime urbanus et affabilis et qui non putat Latinitatem vivam esse oblectamentum nullius momenti, effecit ut grex noster officialiter acciperetur ab urbis magistratibus. Itaque Lunae die 8 m. Aug. [fere] omnes seminarii participes focale induerunt propter sollemnitatem atque curiam municipalem communiter cum Domino Hanozet petiverunt.

Ibi nos exspectabant tres scabini, unus diurnarius atque multi hyali vino sucoque arancino pleni. Primus scabinus, qui dicitur - id est primus magistratus qui urbem regat post burgimagistrum - orationem habuit e qua patuit eum institutionem Latinam non multum sed libenter recordari. Gaius Licoppe oratione laudatoria respondit. Deinde sedendum fuit ante longam mensam pulchreque subridendum. Diurnarius photographema fecit. Postea tandem licuit hyalos tangere. Dum laete bibentes alii cum aliis colloquuntur, diurnarius Gaium interrogavit de re Latina; ea, quae Gaius explicuit, in folio diligenter scripsit. Hyalis vacuefactis, gratias egimus, valediximus, discessimus.

Postero die iam ostendebamur in diario cui

titulus est «Vers l'Avenir»: sub photographemate ubi inter Latinistas scabini subridebant lectoribus - nam in Belgica mox erunt suffragia danda - inter alia pauca explicata sunt haec. Seminaria Latina ante tres annos condita esse Vavriae. Hoc non est omnino falsum sed ea de causa vitiosum, quod subaudiri potest seminaria Latina tantum exstare a tribus annis. Sunt autem anno 1973 incohata, semper moderante D.re Eichenseer qui mox celebrabit suum... sexagesimum seminarium.

De sede Societatis Latinae legebatur hoc: universitatem Saravipontanam conditam esse anno 1976 (!!) a Francogallis (!!!). Etiam ii, qui non sunt historiae peritissimi, statim intellegunt aliquid non quadrare.

Si in tantilla re tanti inveniuntur errores, quid de maioribus censendum? Quibus fidendum?

In antiquitate pauci nuntii accipiebantur e mundo externo. Hodie, contra, massa informationum obruimur, quibus nescimus num confidere possimus. Ozonio, multitudine hominum, pluvia acida omnes anguntur, pauci sciunt quid re vera sit. Nuper flebamur silvarum extenuationem; modo legi eas multo magis abundare, quam computatum est. Abundantne annon? Paulatim non iam curo. Cogito de quadam insula deserta, sine televisorio, sine radiophono, sine actis diurnis, solum cum bona bibliotheca.

\*  
\* \*

P.S.: cum has lineas conscriberemus, accepimus Bruxellensem libellum periodicum c.t. "The Bulletin" (Anglice scriptum) in quo (d. 25 m. Aug. 1994, p. 25) diurnarius Americanus nomine Marcus Steinborn de Melissa atque de Latinitate viva refert. Quae symbola rationalibiter atque serio explicat proposita Latinitatis vivae; insuper rem non ostendit ridiculam, ut saepe fit. Haec symbola est iucunda exceptio. 🐼

# DE RUANDA

NARRAT P. IOHANNES MARIA LECOMTE

**S**edes prelica ANB/BIA hoc testimonium narrat de morte fortissima Felicitatis Niyitegeka, una ex 11 Auxiliariis Apostolatus in urbe Gisenyi trucidatis. Puella quaedam 15 annos nata, quae apud Auxiliarias degebat, cum dixisset se gentis Hutu esse, non est interfecta. Caedis testis, narrare potuit. Testimonium eius collectum est ab Auxiliariis Apostolatus in urbe Bukavu.

«Felicitas Niyitegeka, natione Ruandensis, gente Hutu, circiter 60 annos nata, Auxiliaria Apostolatus est in urbe Ruandensi Gisenyi. Ipsa cum suis sodalibus gentis Tutsi perfugas domi suae exceperunt. Cum comperisset eam in periculo versari, frater eius, qui exercitus colonellus est in oppido Ruhengeri, ei suavit (telephono) ut abiret mortemque certam effugeret. Ipsa simpliciter respondit se mori anteponere cum his 43 hominibus quorum curam habebat, potius quam sola in tutum perveniret. Epistula, lingua eorum Kinyarwanda scripta, cuius infra versionem damus\*, eius fuit responsum. Frater eius hanc recepit epistolam die 12 m. Aprilis (ipse diem receptionis scripsit in angulo inferiore dextro epistulae). Dies sequentes, ipsa perrexit pluries denos homines in locum tutum ducere, eos trans regionis limites traiciens.

«Die 21 m. Aprilis milites advenerunt ut eas caperent autocarroque in coemeterium perducerent. Tunc Felicitas suis sodalibus: "Hoc momentum est, inquit, dandi testimonium, venite..." Cantantes et orantes in autocarrum

ascenderunt. Cum in coemeterium pervenerunt, in quo fossae communes iam erant excavatae, interfectores, cum colonellum pertimerent, ei salutem dare voluerunt.

«Tunc quidam ex militibus: "Tu, inquit, mortem non times. Iam visura es hoc esse grave! Ultima necaberis". Cum de auxiliariis bene existimaretur, telis sclopetorum sunt interfectae. Homines, cum triginta iam occidissent, denuo ei dare salutem voluerunt. Sed negavit ipsa: "Iam causam vivendi non habeo, inquit, postquam sorores meas occidistis". Felicitas ergo tricesima prima necata est. Cum ea, aliae Auxiliae Apostolatus sex sunt necatae. Cum corpora earum vestibus exuta iam in fossas communes deiecissent, frater eius adventit. Fossam excavare iussit. Vestes cum quaesivisset, sororem inhumavit. "Tu ipsa, inquit, mori elegisti. Ora pro nobis..."»


\* Felicitatis epistula ad fratrem:

«Carissime frater, gratias ago tibi quod me adiuvere voluisti. Sed multum abest ut sola effugiam hos 43 homines deserens quorum curam habeo. Cum eis mori elegi.

«Ora pro nobis ut apud Deum perveniamus. Veteri matri et fratri valedicas. Cum apud Deum ero, pro te orabo. Vale. Gratias plurimas quod de me curasti.

«Soror tua, Felicitas Niyitegeka.

«Si Deus nos salvos facit, ut speramus, cras alterutrum revisemus.»



**Giovanni (Iohannes) MAZZA, Latina Carmina (Poesie Latine) a cura i Ciro Di Cristo, Neapoli 1991.** Hic crassus liber (400 fere pag.) nobis oblatus est a Sodalitate Latina Neapolitana. Est editio carminum Iohannis Mazza (1877-1943), una cum versione Italica et multis adnotationibus. Iohannes Mazza in poeticis certaminibus Hoeufftianis palma saepissime meritis est; quare inter prooemia unum agit de historia illius certaminis Amstelodamensis; cetera de poesi Latina in Italia culta atque de vita Iohannis Mazza. Qui

poeta fuit copiosus et maxime varius, argumenta tractavit antiqua et moderna, seria et iocosa.

*Utere medicina aegrotus, sanus abstine,  
ne tibi contingat cuius ut miserrimo  
inscriptionem legi in coemeterio:*

*"Valebam, quo valerem magis, hic mihi locus" (De medicinae usu, p. 262)*

Liber, nisi fallimur, nondum invenit domum editoriam, id quod est valde dolendum. Photocopiatus fortasse potest inveniri apud auctorem, cuius haec est inscriptio cursualis: Prof. Ciro Di Cristo, 31 Via Antonio Brancaccio, I-80059 TORRE DEL GRECO.

# ROMANI NUM CONVENERINT SINENSES

SCRIPSIT GAIVS LICOPPE

**L**eticarii consistunt ante ianuam luxuriosae domus. Cum viatores de sellis gestatoriis descendant, iuvenis servus duabus virgulis tympanum ex ianua suspensum ritualiter pulsat. Fores lente versantur. In faucibus longa series pronorum servorum stat digitis consertis. Domus constat ex multis aedificiis circa aulas dispositis. Res mira: structura est lignea. Lignae columnae rubro colore illitae splendent in parietibus calce dealbatis. Tecta sustententur apparentibus trabibus, quarum extremitates delicate exscalptae praecipua sunt domus ornamenta. Quanta diversitas inter tranquillitatem interiorem et strepitum viarium. Haec domus cuiusdam aulici comitis, etsi amoenissima, omnino tamen impar est splendori domus regiae Filii Caeli, in quam legati diversarum nationum mox admittentur...

Hoc modo nobis fingere possumus quomodo cives Romani anno 166 p. C. n. primum recepti sint in aulam imperatoris Sinarum, qui dicitur Filius Caeli.

«De hoc incredibili evento nullam relationem inveni in textibus antiquis sive Graecis sive Latinis» fortasse dices, benevole lector, et recte monebis! Hic enim mirus nuntius tantum post multa saecula ad nos occidentales pervenit. Nostra aetate docti Sinizantes<sup>1</sup> primum potuerunt antiqua Sinensium scripta adire eaque in nostras linguas vertere. Sic factum est ut in annalibus Sinensibus q. t. «Heou Han Chou» legeretur Romanos, qui mercaturas iam faciebant cum Parthis et Indis, etiam in Sinas legatos mittere voluisse, sed a Parthis impeditos esse, qui negotia cum Sinis sibi reservarent. Nono tamen anno periodi Yën-hi (i. e. nostra computatione anno 166 p. C. n.), imperante Houan-ti' in Sinis, An-toun (i. e. Marcus Aurelius Antoninus) princeps regni Ta-T'sin (i. e. imperii Romani) legatos misit ad Filium Caeli, qui iter maritimum imprimis fecerunt usque ad paeninsulam Indosinensem et inde terrestre. Obtulerunt dentes elephantinos, cornua rhinocerotica et cortices testudineos. A quo tempore

incohatum est commercium directum cum hoc regno.

In annalibus Sinensibus aliae Romanorum legationes memorantur, ultima anno 284.

Qui erant isti negotiatores, qui anno 166 in Sinas pervenerunt et se Romanos esse dicebant? Verisimiliter non erant ex Italia oriundi, sed potius ex hac orientali parte imperii Romani, quo ducebant viae commercii Asiatici. Elephantina, rhinocerotica testudineaque dona, quae Filio Caeli obtulerunt, tunc comparabantur ad Rubrum Mare. Quare isti fortasse etiam oriundi erant e portu Berenica ut ille Graecus, cuius nomen nescimus, qui «Periplum Maris Erythraei» saeculo ante conscripserat. Vocabulum Maris Erythraei sive Rubri, cuius origo ignota est, latiore significationem habebat antiquitus quam nostris temporibus; nam comprehendebat non solum mare quod hodie vocamus Rubrum (sive Sinum Arabicum), sed etiam Mare Omanianum usque Indiam et saepe Sinum Persicum.

Via maritima quae usque Indiam ducebat a Romanis inventa est post Aegyptum ab Augusto in







provinciam redactam. Tunc iam diu diversorum populorum nautae Mare Erythraeum transnavigare solebant. Ineunte aera nostra Arabes hac via maritima praecipue utebantur ad quaestuosas mercaturas faciendas. Cortex odoratus c.n. cinnamomum, cuius divites Romani tam avidi erant ut pro singulis libris (i.e. 327 grammata) sex milia sestertiorum solverent, importabatur ab Arabibus qui originem Indicam huius corticis callide celabant. Itaque non mirum est si Arabes alienigenorum nautarum adventum in Mare Erythraeum moleste ferebant.


Plinius narrat Indum nautam in Aegyptum primum pervenisse regnante Ptolemaeo Euergeta II, i.e. secundo saeculo a.C.n. Ptolemaei milites eum invenerunt semimortuum in litore quo eiectus erat. Cum eius sermonem non intellegerent, eum deduxerunt ad regem, qui eum bene tractari et Graece doceri iussit. Sic factum est ut postea narraret se ex India nave advectum esse, quae solitam viam perdidit atque naufragium fecit in litore ignoto; ex Indis nautis se solum supervivisse. Gratus superstes sibi proposuit ut eos qui vellent in Indiam duceret. Ptolemaeus sivit audacem Alexandrinum nomine Eudoxum Cuzicenum navigationem comparare ad Indiam petendam.

Naves Alexandrinae extremum Sinum Arabicum petiverunt ubi transitu Clithro (quod fretum hodie vocatur Bab-el-Mandeb) via patet ad Oceanum Indicum. Post Africae extremum angulum apparet Dioscoridis Insula (sive Dioscoris; hodie Socotora vocata), quae erat solita statio nautarum in Indiam proficiscentium vel ex India revertentium. Ibi gratus nauta Indus Alexandrinos docuit secretum maximi momenti. Nam ad Indiam petendam alia via exstabat ac longissimum iter iussu Alexandri Magni a Nearcho factum, qui praeter litora classem semper duxerat. Fieri poterat ut India multo celerius uno tenore peteretur per altum. Continuus enim ventus aestivo tempore naves fert ad Indiam. E contrario hiemali tempore naves vento feruntur ex India ad Africam. Hippalos est nomen antiquum huius venti, quem hodierni vocant «mousson».

Quo secreto feliciter nacti, Alexandrini commercium directum cum India facere coeperunt. Quod commercium valde auctum est postquam Aegyptus facta est provincia Romana. Nam apud Strabonem legitur magnam navium copiam tunc quotannis e portu Myohormo solve ad Indiam petendam. Unde patet mercatores ex imperio Romano oriundos cum India et insula Taprobana (hodie Ceylan) directe negotiari solitos esse iam primo saeculo p.C.n.

Quid de reliquo itinere usque ad Sinas? In Periplo Maris Erythraei narratur praegraves naves Indicas Hippalo vento nactas solve ad Chrysum Chersonesum (i.e. Malaccam paeninsulam) per altum petendam. Obscurus Graecus, nomine Alexander, secundo saeculo p.C.n. hanc viam

audacter secutus est, fretum Malaccae transiit, unde Mare Siamense transnavigavit navemque ad oram maritimam Cambosianam (Francogallice: Cambodge) appulit. Portus Cattighoura, ubi stationem fecit, non certe scimus ubi fuerit. Videtur fuisse prope portum hodiernum Hanoi. A quo tempore via ad extremum orientem patuit aliis audacibus negotiatoribus Graeco-Romanis, sicut eis, quorum adventum anno 166 in urbem caput Filii Caeli narravimus.



"Turris novizonia Sinensis"; e quo vocabulo fingi potest "multizonium" ad aedificia nostra moderna nominanda.

\*  
\* \*

Pleraque supra narrata deprompta sunt de libro c.t. "De Rome à la Chine" (Parisiis, ed. Les Belles Lettres, 1993), quem conscripsit Iohannes-Natalis (Jean-Noël) Robert. Qui Latinista historicusque Francogallus multos libros iam scripsit de vita antiquorum Romanorum. Etiam est indefatigabilis viator qui Sinas et Asiam maiorem compluries peragravit. Quondam cum itineraretur in mediae

Asiae maioris solitudinibus "Takla Makan" vocatis, in quadam oase incidit in indigenam sacerdotem catholicum, qui cum eo Latine sermocinari conatus est. Nam sacerdos nullum alium sermonem Europaeum sciebat. Puduuit Iohannem Natalem Robert verbis egere aptis ad sermocinandum, quamvis esset Latinista. Hac de causa, cum postea invenisset exstare seminaria Latinitatis vivae, anno 1991 participavit seminarium quod Bruxellis in Domo Latina ordinavimus pro Societate Latina.

Hunc librum valde commendamus legendum eis qui Francogallice sciunt et plura invenire cupiunt de commercio consuetudinibusque inter imperium Romanum et Asiam. Pro eis qui Francogallice nesciunt unam tantum partem huius libri verbis Latinis hic breviter contraxi.

<sup>1</sup> Sinizans, -antis = peritus linguae Sinensium, eodem modo confectum ac Latinizans, -antis.

# 物

## DE NOMINE SERICAE REGIONIS

Romani numquam habuerunt rectam notitiam geographicam extremi Asiae orientis. Tunc temporis auctores mentionem faciebant longinquissimae Sericae Regionis, de qua plura vix sciebant quam ibi gigni sericum. Incolas huius regionis vocabant Seres.

Postea viator mediaevalis Marcus Polo in relatione sua hanc regionem vocavit Cataium (Cathai in textu originali Francogallico). Quod nomen proprium erat gentis cuiusdam Tungusianae, cuius in potestate erat via, qua serica ex oriente in occidentem comportabantur.

Russi pergunt hoc vocabulo uti (Kitaj).

Portugalli nautae qui primi recentioribus temporibus ad illam regionem appulerunt eam vocaverunt «Chinam», quod nomen ab Indis et Malais acceperunt. Videtur originem ducere e nomine regiae domus Ts'in, quae primo saeculo ante Christum natum ibi primum magnum imperium condidit.

Ex usu hodierno dicimus Sinas (Sinae, -arum); incolas vocamus Sinenses. Etiam legitur adiectivum, quod est Sinicus, -a, -um, ut fit apud Athanasium Kircherum.

# 線


## CHINA MONUMENTIS

In hoc fasciculo primum Romanorum civium adventum in Sinas narravimus. Quo non factum est ut Sinenses aliquid scirent de lingua Latina, cum illorum negotiatorum sermo patrius certe esset Graecus.

Linguae Latinae prima satis magni momenti introductio in Sinas facta est sexto decimo saeculo a missionariis Iesuitis. Qui, cum secum afferrent doctrinam mathematicam technicamque, cum linguam scripturamque Sinicam addicerent, cum Sinensium philosophiam magni aestimarent, in Sinis considerare potuerunt, quin etiam in aulam imperialem libenter recipi. Non pauci Iesuitae maiorem vitae partem in Sinis degerunt; nonnulli

ibi mortui sunt, quibus imperator sepulchrum reservari iusserat. Quod sepulchrum nunc est in aula cuiusdam Pekinensis scholae partium communistarum, ubi conspiciuntur circiter octoginta stelae bilingues lingua Sinica et Latina inscriptae.

Septimo decimo saeculo in Sinis floruerunt Iesuitarum institutiones. Tunc temporis in lucem editus est liber c.t. *China Monumentis*, auctore Athanasio Kircher S.I. De quo nonnulla excerpta lectoribus proponimus. Ex his percipere poteritis Europaeos illius temporis non multo plura scivisse de Sinis quam Romanos.



saepius Patrum nostrorum invitatione didicissem, vix ad id credendum induci potuissem: cum enim diureticae facultatis sit, omnes meatus nephriticos seu renum mirifice aperit, caput ab omnivaporum fuligine liberat, adeo ut viris litteratis necnon magna negotiorum mole distentis ad vigiliis continuandas nobiliter aptiusque remedium a natura non concessum videatur, et quamvis prima vice nonnihil insipidum amarulentumque sit, usu tamen eius modi potus non solum non fit inamoenus, sed in tantum gulae irritamentum exurgit, ut eo assuefacti semel, vix amplius eo abstinere queant.

Et quamvis Turcarum *Cave* et Mexicanorum *Cocolata* eundem praestent effectum, *Cià* tamen, quam nonnulli quoque *Te* vocant, ea multum superat, tum quia temperatioris naturae est, tum quia *Cocolata*

temporibus calidis plus aequo inflamat, *Cave* vero bilem quoque accendit. *Cià* vero semper, nullo ad tempus respectu habito, et innoxia est et mirifice proficua, non, ut dixi, semel sumpta, sed centies etiam in die.

## 物

DE SINENSIVM LITTERIS. Cum itaque lingua Sinica mirum in modum aequivoca sit, unumque verbum saepe decem, saepe viginti res differentes, sola accentus diversa prolatione enuntiata, significet, illa, supra quam dici potest, difficilis redditur et non sine summo labore, intenso studio et cum mille reflexionibus addisci potest ab exteris.

Mandarina toti regno communis est eiusque principalis usus est in curia et aula regis, quae sunt Pequini et Nanchini, estque in toto regno eadem, quae in Hispania Castellana et in Italia Toscana. Characteres toti regni Sinarum, uti et Iaponiae, Coreae, Conchinchinae, Tonchini communes sunt; idioma diversissimum est; hinc Iapones, Conchinchinae, Coreae et Tonchini gentes libros et litteras hoc characterum genere scriptos intellegunt quidem, sibi tamen mutuo loqui ac se invicem intellegere loquentes non possunt; non secus ac figurae numerorum toti passim Europae usitatae ab omnibus intelleguntur, tametsi voces, quibus pronuntiantur, diversissimae sint; characteres enim signa sunt conceptuum rerum omnibus communium.

Hinc aliud est, nosse characteres Sinicos, aliud Sinica lingua loqui; posset enim externus quidam

DE EXOTICIS CHINAE PLANTIS. Reperitur herbae radix *Ginseng* dicta in provincia Leautung tota China celeberrima et summe pretiosa, cuius usu Sinae homines veluti immortalitatem consequi perperam sibi persuadent. (...) Certe hanc herbam mirificam vim instaurandorum spirituum et caloris nativi habere, nostri ipsa experientia docti asseruerunt, non tamen tantum de ea conceptum habent, quem plus aequo creduli, ne dicam superstitiosi, habent de vita per eam perpetuanda, cum (uti vulgatum adagium habet),

*Contra vim mortis non sit medicamen in hortis.*

Mirum tamen est homines, ceteroquin non exiguo ingenio praeditos, de similibus tamen adeo ridicule philosophari.

## 線

DESCRIPTIO HERBAE CHA SIVE TE. Planta dicitur *Chà*, vel nostro pronuntiandi modo *Cià*, cuius usus, in Chinae claustris contineri nescius, Europae quoque paulatim sese insinuare attentat.

Haec planta etsi in variis Chinae regionibus, uti et in Tartaria, copioso proventu lucroque nascatur, in una tamen, quam in altera provincia, melioris praestantiorisque notae est, potissimum in provincia Kiangnan in territorio civitatis Hocicheu. Passim notus est potus ex ea confectus, qui calidus sumitur, quo non solum universum Chinae imperium, sed et India, Tartaria, Tebeth, Morgor, ac omnes Orientalis Oceani incolae utuntur, non semel in die, sed quoties ipsis libuerit.

Virtute sane praestantissima pollet, quam nisi

bona memoria praeditus et studio coniuncto, ad summam eruditionem ex librorum Sinicorum lectione pervenire, tametsi neque loqui neque loquentes intellegere posset.

Quia tamen idioma in Dei causa negotiantibus apostolicis viris omnino necessarium est, hinc iuxta musicas notas *ut, re, mi, fa, sol, la*, ascensus descensusque Sinicorum accentuum in pronuntiatione observatorum, quibus in linguae difficultate superanda iuvarentur, P. Iacobus Pantoja primus notas invenit, quas, supra Europaeo modo scriptas, dictiones Sinicas sequenti modo exprimunt: ^ - ' ' ^

Prima nota quinque Sinicorum accentuum (^) respondet musico *ut*, et sonus seu enuntiatio Sinice vocatur *chō 'pīm*, quasi dicas, *prima vox prodiens aequalis*. Secunda nota (-) respondet musico *re*, et sonus Sinice vocatur *'pīm xīm*, quasi dicas, *clara vox aequalis*. Tertia nota (') respondet musico *mi*, et sonus Sinice dicitur *xām xīm*, id est *alta vox*. Quarta nota (^) respondet musico *fa*, Sinice dicitur *Kiú xīm*, id est *abeuntis alta vox*. Quinta nota (^) respondet



*Stensium scribendi modus*

*Dens* yâ 牙  
musico *sol*, Sinice dicitur *gě xīm*, id est *ingredientis propria vox*.

*Mutus* yā 哑  
Sic verbi gratia unica dictio, *ya*, scripta Europaeis litteris, notis quinque superioribus effecta, enuntiari debet diversis vocibus et accentibus, quemadmodum conscribitur a Sinicis diversis characteribus.

*Excellens* yà 雅  
*Stupor* yá 訝  
Ut significationes diversas eadem pronuntiata dictio ingerat auribus audientium, oratio vero paulatim

*Anser* yǎ 鴨  
prolata musices referat ad tactus tempora ex monosyllabis dictionibus (nulla enim apud Sinas polysyllaba) ordinatam harmoniam. Figuras quinque vocalium seu accentuum supra positorum expressimus hic, ut vides.

線

TYPOGRAPHIA SINENSIVM IN QUO A NOSTRA DIFFERAT. Certum est Europaeam inventionem praestare Sinicae, eo quod Sinenses, non secus ac apud nos imagines, suos libros imprimant. Librum enim edituros tot tabulas ligneas habere oportet, quot in

libro folia sunt. Ex hisce primum incipiunt incidere, et deinde ex prima tabula litteris incisa tot imprimunt exemplaria, quot exemplaribus opus habent; deinde procedunt ad secundam, et sic de ceteris. Atque hoc pacto integras saepe domos tabulis typographicis implent. Et ideo valde differt a typographica nostra inventionem, in qua non singulae voces, uti Sinica lingua postulat, suis inciduntur peculiaribus tabulis, sed litterae, ut vulgo notum est, iuxta alphabeticam dispositionem ex receptaculi singulis litteris correspondentibus collectae, in voces et periodos formantur. Deinde impresso folio, denuo dissolutae litterae singulae suis redduntur cellulis; quae res et minoris laboris est et universale artis combinatoriae opus.

De hoc itaque invento, uti Sinis olim nihil unquam innotuit, ita quoque typographicum inventum Europae primo, eo modo quo dixi, competit; imaginum enim imprimendarum ratio uti inventionis nomen non meretur, ita quoque et Sinicae typographia, cum natura doceat in tabulis incisarum imaginum rimas, ubi atramento oppletae fuerint, pressura adhibita in charta imaginem incisam relinquere.

(Athanasii Kircheri *China Monumentis Illustrata*, Amstelodami apud Iacobum a Meurs, a. 1667, p. 178-179, 179-180, 235-236, 222)

# DE MALEFICIS, DE STRIGIBUS, DE PYTHONICIS MULIERIBUS (II)

INQUISIVIT FRANCISCA DERAEDT



Maleficae habent sua instrumenta. Ad fascinandum pupas saepe adhibent, quae habentur pro victimae imagine. Unguenta, philtra aliaeque potiones conficiunt ex bufonis pulvere desiccato, ex unguium praesegminibus, ex animalium intestinis, ex ossibus ablati-

fiant sine periculo:

[Iudices] non permittant se a maleficis tangi corporaliter, praesertim super nudam iuncturam manuum et brachiorum, sed omnino secum deferant sal exorcizatum in Dominica die palmarum et herbas benedictas. Haec enim res insimul cum cera benedicta involutae et in collo deportatae, ut supra in secunda parte operis de remediis contra maleficiales infirmitates et defectus patuit, miram habent efficaciam praeservandi, non solum ex maleficarum testimoniis, verum etiam ex usu et consuetudine Ecclesiae. (...)

Experientia nos edocente, novimus quasdam in castris detentas, quae nihil aliud a castellanis instantissimis precibus flagitabant, nisi ut in adventu iudicis, aut alterius praesidentis, eis concederetur, ut primum intuitum visus in ipsum iudicem dirigere possent, antequam ab eo vel aliis essent visae, ex quo intuitu etiam sortitae, quod talis iudex aut alii sui assessores ita alieni in eorum cordibus fuerunt, quod omnem, si quam habuerunt, indignationem amiserunt, nec ipsas molestare quoquo modo praesumebant, sed libere abire permiserunt.

(Malleus Maleficarum, Lugduni 1669 p. 246-247)

sepulcro, ex dentibus hominum suspensio mortuorum, ex plantis.

Nam vi plantarum libenter utuntur, praesertim mandragorae, belladonae hyoscyamique. Mandragora iam antiquissimis temporibus ea de causa habebatur ut magica, quod eius forma videtur corpus humanum imitari. Medio Aevo dicebatur immaniter clamare; omnes, qui eam e terra extrahentes audirent illum clamorem, sive statim mori sive surdos fieri; itaque homines solebant canem ad eam alligare, qui plantam extraheret omneque periculum ipse susciperet. Belladonna et hyoscyamum sunt narcotica; belladonna nomen trahit a mulieribus Venetis, quae ea uti solebant ad oculos nitidandos.

Permixtis his omnibus una cum lingua viperae salivaque bufonis, quam si oblita eris omnia in vanum redigentur, maleficae valent abortus concitare, morbos, tempestates aliaeque multa. Imprimis unguentum conficiunt, quo perfricatae possunt super scopas equitantes avolare ad loca longinqua. Infeliciter mihi non est exacta formula.

Ut iam diximus, etiam illo tempore non omnes credunt fieri posse, ut miserae mulieres tam scelestam habeant potestatem. Plerique tamen his fabulis confidentes iudicibus indicant eas, quae se ambigue gerunt. Optima occasio sic praebetur inimicam vicinam prodendi...

Miseris mulieribus ita comprehensis, nemo dubitat quin horribilia, quae de eis narrantur, re vera fecerint. Plura dicam: ipsae fatentur novaque facinora enarrant... adiuvante tortura. Iudicibus tamen caute agendum est, cum inquisitiones non



Belladonna

De his rebus non est ridendum; nam:

Cavendum est valde exorcistae cuilibet, ne de suis viribus facilius praesumat aut iocum aut ludum serio Deo operi intermisceat (...) Nam vidi in Conventu Coloniensi fratrem, verbis satis iocosum, sed in gratia expellendi Daemones valde famosum. Hic cum in terminis conventus Coloniensis Daemonem in obsessio corpore arctaret, iam Daemon petivit a fratre locum recedendi. Quo gavisus frater, ait in ioco: «In cloacam meam vadas». Exiit igitur Daemon et nocte cum frater ventrem purgare vellet, Daemon tam dire eum torsit prope cloacam, ut vitam cum difficultate salvaret.

(Fr. Ioannis Nideri Formicarium de Maleficis et earum praestigiis ac deceptionibus, in tomo primo Mallei Maleficarum, Lugduni 1669 p. 349)

sententiis quaestione 50 criminali recensentur, quilibet tamen facile palpat, quod omnia illa sint suppeditata a iudicibus et crudelissimis tormentis extorta. Immo demus etiam mille sagas sponte de se talia fuisse confessas, quamvis verear, an ex tot myriadibus igne combustis, decem allegari possint, quae id fecerint, quis iudex tam absurdus esset, ut crederet, mille feminis unanimiter deponentibus, v.g. se in caelo fuisse, et cum S. Petro saltasse, an cum eius cane venatorio concubuisse? Nam magis (non dicam ridicula, quia crudelitas processus contra sagas quid tristius postulat), stulta sunt ea, quae leguntur in depositionibus sagarum. Hinc facile responderi poterit communi effugio iurisconsultorum nostrorum, in criminibus occultis et facti transeuntis, ut adulterio, stupro, sodomia, haeresi, veneficio, sortilegio etc., de corpore delicti aliter constare non posse, quam per coniecturas et indicia, adeoque in his praesumptionem et coniecturatam probationem

haberi pro plena. Vid. Carpz. qu. 119 n. 61. Nam in reliquis delictis omnibus saltem de aliquo corpore delicti aliquando constitit, de eorumque existentia nulli hominis sanae mentis restare potest dubium. At cum numquam exstiterit corpus delicti in ullo casu magiae, parum apta est criminis huius cum reliquis recensitis comparatio.

Christiani Thomastii De Crimine Magiae, Halae Magdeburgicae 1701, §XLIX.

\* Benedictus Carpzov (1595-1666), iurisconsultus; opus principale: Practica nova imperialis Saxonica rerum criminalium (Vitembergae 1638).

Si quis cupit opera legere, quae sunt de hoc themate Latine scripta, nonnulla facile invenire poterit, inter quae:

- Ulric Molitor, *Des sorcières et des devineresses. Le premier procès de la sorcellerie*, ed. Tiquetonne (41 rue Barrault, 75013 Parisiis). Editio Latina anni 1489

una cum versione Francogallica.

- Christian Thomasius, *Vom Laster der Zauberei. Über die Hexenprozesse. De Crimine Magiae. Processus Inquisitorii contra Sagas*, Monachi, Deutscher Taschenbuch Verlag, 1987 (DTV Klassik n° 2170). Editio Latina anni 1701 una cum versione Theodisca.

- exstant adhuc modernae editiones Mallei Maleficarum. At ea, quae nobis est in manu (ed. Culture et Civilisation, Bruxellis a. 1969) est exhausta.

- Bernard Gui, *Manuel de l'inquisiteur*, texte et traduction par G. Mollat, coll. Les Classiques de l'Histoire de France au Moyen-Age, Parisiis, ed. Les Belles Lettres, 1964.



Mandrāgora

Tales stultitiae obstinate duraverunt usque ad duodevicesimum saeculum; ultima saga in Polonia necata est anno 1793. Sed antequam homines se magis rationabiles praeberent, multum fuit argumentandum:

NUMQUAM IN PROCESSU CONTRA SAGAS ADFUIT CORPUS DELICTI, ADEOQUE OTIOSUM EST QUAEERERE DE INDICIIS HUIUS DELICTI.

Cum enim in hoc crimine numquam ullum verum corpus delicti adfuerit, quilibet videt, quod nec umquam ullum verosimile indicium adesse potuerit, quia non entis nulla sunt indicia. Fac vel mille sagas illa omnia confessas, quae apud Carpzovium\* in

# NUNTIIUM E CIRCULIS LATINIS ITALICIS

AD NOS MISIT CLAUDIUS PIGA

*Ante hornotinum seminarium Vavriense Claudius Piga, actuosus sodalis circulatorum Latinorum Italicorum, ad nos misit epistolam satis gravem.*

*Argumenta tractata mihi visa sunt spectare ad omnes Latinitatis vivae cultores. Quare eius epistolam lectoribus exhibere statui. (G.L.)*

DE LATINITATIS PROVINCIA. Nimirum, tam multa verba sunt ubique - inter Latinizantes inquam - de sermone Latino tamquam «instrumento communicationis». Pauca sunt tamen experimenta, quae illam optimam communicandi facultatem comprobent. Praesertim desiderantur experimenta ad necessitates nostras hodiernas maiores et altiores excogitata. Nam Latinistae loquuntur saepius: a) de Latinitate hodie infeliciter abiecta (sicut in hoc epistolio!); b) de novis vocabulis, quae desiderantur; c) de carminibus, quae Latine panxerunt et scriptores minores; d) de optima ratione appellandarum litterarum; et ita porro. Quod quidem optimum est, sed parum congruit cum doctrina et necessitatibus nostri temporis. Non ignoro te Latine egisse de medicina et de re politica, alios de re physica et de variis rebus, quae longum sit hic referre. Bene vobis dico, et gratias vobis ago, qui multum fecistis. Sed oportet ceteri viri docti vestigiis vestis ingrediantur. Nam quod multum fecistis, parum est prae tot tantisque orationibus et scriptis de rebus antiquis, iisdemque ne cum hodiernis rebus quidem coniunctis. Viri docti, qui hodie sunt, numquam accepturi sunt propositum nostrum, ut Latinitas iterum floreat, nisi aliquid perspicuum et grave in manibus habuerint, quod illam optimam communicandi facultatem comprobet. Sed consuetudinem repetere eorum virorum illustrium, qui aetate renatarum artium floruerunt, et de moribus, de philosophia, de scientiis cognitionibusque scripserunt, est opus grave, nisi dicam immane. Ubinam gentium porro inveniuntur isti viri? Spes tamen, ut aiunt, ultima dea. Non infitior arduum esse difficultates huiusmodi enodare, praesertim arduum est ilico enodare. Opportunum est autem prospicere res futuras, et properare studium, ut res Latina adolescat: vitandum est ut Latinitas eo morbo laboret, qui Petri Panos (*Peter Pan*) est proprius. Exempli gratia, Sodalitatibus Latinis nostris, Mediolanensi et Bergomensis, nomen dederunt plurimi et optimi viri, non raro docti, immo doctissimi, qui melius in dies Latine loqui videntur.

Sat non est. Desiderantur iuniores. Et hoc praesertim desideratur, ut Latine saepius loquamur ad aperiendas nostras veras, ingenuas, doctas (si fieri potest) cogitationes: non solummodo ad comprobendam vel etiam exercendam nostram facultatem loquendi (quod scilicet non est spernendum).

DE LATINITATE EUROPAEA. Probe scio, Cai, quam bene meritus sis de Latinitate vulganda apud Europaeos; memini nos omnes libellum petitionis de hac re a te exaratum subnotasse. Viri politici tamen intelligere non videntur quam bonum sit leges rogare, condere, scribere Latine. Neque Latine vertere sat est: oportet omnia referantur ad legum textum Latine exaratum. Quid igitur agere possumus ut viros politicos pudeat ipsorum insaniae? Cfr infra, de Latinitate suadenda.

DE INSTITUTIONE LATINA. Societas, cui est nomen Unitas Latina (*Union Latine*) conventum instituit Bruxellis, die 28 mensis Aprilis huius anni, de litteris Latinis et Graecis apud Europaeos. Sed iam scimus quomodo res se habeant: locus, qui servatur Latinitati in institutione publica, minuitur in dies, propterea quod viri politici putant (nonnulli ex bona fide!) litteras et linguam Latinam parum congruere cum cive Europaeo hodierno. Adde huc, quod non desunt qui de mala fide ista iudicia proferant: nam et captui vulgi inserviunt, et industriis quaestuosis sollicitantur, et largitionibus in porticu (in *lobia* = *lobby*) acceptis in vitium flectuntur. Si quis viris politicis, qui ex bona fide tam male de Latinitate sentiunt, contrarium suadere conatus erit, oleum et operam perdet. Neque est nobis pecunia, quam eis largiamur, qui de mala fide iudicant. Neque volumus. Quid agendumst? Restat ut nos conferamus ad articulum de Latinitate suadenda.

DE LATINITATE SUADENDA. Quoniam sat multa, quae ad Latinitatem confirmandam spectant, in

viris politicis sunt posita, oportet cum eis rem habere, praecipue: a) de legibus Europaeis, saltem de iis potissimis, Latine scribendis; b) de institutione Latina vindicanda et provehenda, minime abienda. Quomodo? Diximus nos non posse neque velle pecuniam largiri viris politicis venalibus. De istis utcumque est desperandum. Neque inveniatur apud Latinistas illud maximum spatium temporis et illa subtilissima vis dicendi, quibus opus est ad convincendos eos, qui ex bona fide aliter censent de Latinitate. Non arte dicendi est igitur nobis utendum: praestat viros politicos petere et eas ipsorum partes tundere, quae sunt opportuniore. Nonne viri politici omnes timent semper, ne auram popularem amittant? Oportet ergo nos insectari auram favoris popularis; eos pudere, nisi quicquam egerint pro Latinitate.

\*  
\* \*

De his rebus cogitavimus Joannes Carolus Rossi, Franciscus Piselli, et ego quidem. Somniavimus conventum Europaeum, cui

interfuturi essent quam plurimi diurnarii (vitandum est quod evenit Lutetiae Parisiorum ante tres annos: illuc convenerunt viri doctissimi, qui de re gravissima egerunt, sed vix quicquam de conventu in actis diurnis est relatum). Freti hodiernis auxiliis electronicis, praesertim reti Europaea ISDN (*Integrated Services Digital Network*), Latinistae totius Europae facillime congrredi possunt, neque opus est per Europam itinera facere: sat est se conferre ad industriae telephonicae officinam, ut vox microphonio, os videocamera excipiatur. Neque displiceat, puto, societatibus telephonicis praeconium facere de hoc incepto. Somniavimus etiam iudicium de lingua Latina: viri politici in iudicium vocantur de sermone Latino abiecto. In hoc iudicio nemo ostendit suam facultatem loquendi Latine: sed Latine, et bona Latinitate usus, ratiocinatur, arguit, convincit, colligit ea omnia, quibus est opus. Viris politicis licebit sua lingua vernacula uti, eorum verba vertet interpret ex tempore. Nisi viri politici adfuerint, non refert: absentes damnabuntur. Hoc iudicium tamen exerceri non potest ante videocameras sine corona stante: somniavimus Bergomum aptam sedem fore.

28

## QUINTUM ANNIVERSARIUM NUNTIORUM LATINORUM



## YLE NUNTII LATINI



The unique roundup of News in Classical Latin is aired each weekend at the end of the English transmission of YLE.

### EUROPE

All Times Central European Time  
(Paris, Berlin, GMT+1h)

#### SATURDAY

20.53 Eutelsat II-FI (DW 8.10 MHz)

11755 kHz/25m  
9730 kHz/31m  
6120 kHz/49m  
963 kHz/312m  
558 kHz/538m

23.53 Eutelsat II-FI (DW 8.10 MHz)

963 kHz/312m  
558 kHz/538m

#### SUNDAY

06.53 Eutelsat II-FI (DW 8.10 MHz)

15.53 Eutelsat II-FI (DW 8.10 MHz)

16.23 ASTRA 1B (VH-1/WRN 7.38 MHz)

### NORTH AMERICA

All Times EST (New York, GMT - 4h)

#### SATURDAY

21.24 Galaxy 5 (3.820 GHz/6.8 MHz)

#### SUNDAY

09.53 am 15400 kHz/19m

17740 kHz/16m

10.23 am Galaxy5 (3.820 GHz/6.8 MHz)

### AUSTRALIA, SOUTH ASIA

#### SUNDAY

09.23 GMT 17800 kHz/16m

15330 kHz/19m

### EAST AND SOUTH ASIA

#### SATURDAY

23.53 GMT 5990 kHz/49m

### SOUTH AMERICA

#### SATURDAY

23.53 GMT 6015 kHz/49m

9680 kHz/31m

### THE MIDDLE EAST, EAST AFRICA

All Times GMT

#### SATURDAY

19.53 Eutelsat II-FI (DW 8.10 MHz)

22.53 Eutelsat II-FI (DW 8.10 MHz)

#### SUNDAY

05.53 Eutelsat II-FI (DW 8.10 MHz)

11755 kHz/25m

9635 kHz/31m

14.53 Eutelsat II-FI (DW 8.10 MHz)

Local stations or audio networks may carry Nuntii Latini in your area as part of their feeds of Radio Finland or World Radio Network.

If you want to comment on YLE Nuntii Latini, write to YLE Radio Finland, Box 78, 00024 Yleisradio, Finland. Fax (+3580) 1481169, Internet: rfinland. at yle.mailnet.fi.